

**Astivus clamor abodicus  
circa solennem et  
auspicatissimum  
inaugurationis ri...**

Flacherus, Gustavus

*1 Ic 1692 Swederi, Matthiae*



National Library  
of Sweden

ÆSTIVUS CLAMOR ABODICUS

Circa

SOLENNEM ET AUSPICATISSIMUM  
INAUGURATIONIS RITUM

VIRI

In inclyto Athenæo Aboensi,

*Amplissimi Consultissimiq; Domini,*

**Dn. MATTHIÆ**

**SWEDERI,**

Juris Professoris celeberrimi,

Consistorii Adfessoris Gravissimi,

Dum

*Pompâ & comitatu Honoratissimo Sceptra imperii Academici,*  
*capesseret*

*Anno 1692. die 21. Junij*

In

Honorem & cultum officiosissimum

à

*Discipulis ad quevis paratissimis*  
*effusus.*





Actat se nunc alacris ac beatâ omnium devotio; exstat in vultu cujusque hilaritas, & publicum decus: & in apertis frontibus, animorum gestus sentiuntur? non capit se abundantis laetitia magnitudo? Nec mediocribus bonis gaudent ij, qui exultant modum non habent. Fruimur jam praesentis temporis maxima voluptate, eò quod exoptatissima illa dierum series, destinatas temporum vices, implevit, quae gratiosi Adventus Magnifici Rectoris festivitatem, solennibus faustisque applausibus, quotquot moderationis tuae sublimitatem colunt & summa veneratione exosculantur, amplectuntur, celebrandam nobis commendat. ò latum tempus, faustusque dies? quò omnia gaudio valent exultantque? quis omnium queat flagrantissimis audientium studijs satisfacere dicendo? quis tam potens, cujus tam larga tamque felix copia fandi? qui non in admirationem rapitur, cum Excellentissimorum Dominorum & Mecenatum hujus Lycei laudes exequi velit. Quorum ampliora sunt merita, quam optata votorum. Inter quos, alteri refectio & necessaria quies non est deneganda: Alteri labores curasque perferre & lubire non tædiosum erit. Ille insignia ac munia deponere optat. Hic eadem induere gestit. *Septia Excellentissime & Praclarissime Dn. Professor MATTHIA SWEDERE capessis, universitatis: qua regimen, justitiam serenitatemque important, designant; nam studiosae pubis salus a felici tuo regimine*



mine, dependet. *Quam ingens Dei donum & salutare nobis  
sidus exortum, eò quod, Tuae Magnificentia directio, instar  
fulgidorum radiorum solis, calorem & vitales auras prae-  
bentium, blandaque quaedam vi nos corroborantium. Eat mille  
per ora felicis Rectoratus cursus, nec terminum curet, qui  
semper divina meditatur. Te summum rerum satorum caelestemque  
favitorem supplice voce rogamus, velis ejus Magnificentiam  
nunc & semper tuo afflatu regere atque confortare, Suffulcire  
& augere: ut ejus laus permaneat aeternum multasque degat  
in terris atates, & ejus Magnificentia tandem rerum bene ge-  
starum laude cumulata gloriarum segete, benedicta, ad aeterna  
fama templum non sine faustis acclamantium votis subvecta  
properet.*

Tenui licet stilo, debitae tamen obsequantiae  
cultusque officiosissimi declarandi cau-  
sa congratulatur

GUSTAVUS FLACHERUS,

**Q**uam exoptatum commodum matutinus dies,  
Attolite,

En!

Qua latitavit Olympus ille clarus illucescit.

Domine,

Magnae eruditionis Vir,

Excellentissimus, Consultissimus,

Virtutum & meritorum fama,

Inclytus,

**Dn. MATTHIAS SWEDERUS,**

Jur. Svec. & Rom. Professor,

Hodie.

Suppremi numinis providentiâ,

&

Potentissimi, Clementissimique,

Sve.

Svæcorum, Gothorum, Wandalorumque  
Regis,  
CAROLI UNDECIMI;  
Constitutione,  
Et Amplissimi Senatus Academici,  
Adprobatione,  
Fasces atque Sceptra Academica,  
Capessit,  
Floreat, splendeat, fulgeat,  
Rector noster Magnus,  
In gloriam numinis  
In obsequium Regis  
In honorem hujus Lycæi.  
Voveamus,  
Cives Academici omnes,  
Ut,  
Gravissimo illo officio suscepto,  
Dei gloriam promoveat,  
Reiquæ literariæ prospiciat,  
De cætero,  
Ne obliviscaris illius,  
Cujus animus tibi obedientiam dicavit,  
Qui tibi nunc & semper felicia quævis peroptat,  
Ad,  
Extremum vitæ halitum.

CLEMENS THELAUS  
*Angerman.*

